

& conventus, ut effectus bonorum morum, & operum evidenter demonstrat, satis notorium est, & oculari fide perspeximus per nos, & nostros successores, & canonicos donamus, & concedimus plenam potestatem, & liberam administrationem in jam dictis Ecclesiis disponendis, ordinandis tam in clericis, quam in laicis, masculis, & fœminis introducendi, ejiciendi, mutandi, substituendi tibi omnibusque tuis successoribus concedentes prout est, quod præfatas Ecclesias per nos, aut nostros successores, & canonicos Aquenses liberas, immunes, & absolutas esse volumus ab omni nostra, & successorum nostrorum, & canonicorum nostrorum exactione fotro, collecta, albergaria, synodalicis exactionibus, & omnibus aliis rebus nihil nobis in modo dictis Ecclesiis reservantibus, nec occasione D. Papæ, nec Cardinalium, nec Archiepiscopi, seu cujuslibet alterius personæ, præter quod tu debes servare interdictum Aquensis Episcopi, venire ad capitulum, ad baptismum, & synodum, & omni anno in festo B. Martini persolvere Aquensi Episcopo octo solidos, denarios bonos Papiensium alborum monetæ, Aquensibus vero Canonicis quatuor solidos ejusdem monetæ, & nihil aliud. Denique pro concessionis stabilitate, ne quid a nobis communicato consilio prædictorum Canonicorum fratrum nostrorum sponte consentientibus semel solemniter factum . . . aliquatenus unquam annullari possit nostro sigillo communimus subscribentes, & in præsentia bonorum hominum clericorum, & laicorum testium ad hoc specialiter vocatorum, quorum nomina subter leguntur per manum Ugonis Not. Sac. Pal. præcepimus scribi. Ego Ubertus Episcopus Aquen. Ego Anselmus ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus per manum prædicti notarii me subscribi jussi. Ego Ardicio Archipresbiter ejusdem Ecclesiæ per eundem notarium me scribi feci Gulielmus præpositus me scribi feci. Ego presbiter Azo me scribi jussi. Ego presbiter Eliseus me scribi præcepi. Ego Anselmus subdiaconus me scribi feci. Ego Nicolaus subdiaconus me scribi feci. Signum Henrici Abbatis monast. S. Petri de Aquis. Anselmi prioris, Bergoni monachi, Anselmi Præpositi Ecclesiæ B. . . . de Gamundio, & Archipresbiter Ecclesiæ B. Johannis de Aquis, Arnaldi Judicis de Aquis, Dodonis Bellexii, Ugonis, & Alberti Arnaldi, Uberti de Burgo de Burgo, Gulielmi Guiliæ, Blanca, Aquidei Benzonis testes, qui interfuerunt, & manu prædicti Notarii testis se subscribi rogavi. Factum est hoc in burgo Aquis, in claustrum monasterii B. Petri anno Dei MCLXXXI., indict. XIV., die sabbato in calend. augusti. Ego Ugo notarius S. Palatii vocatus interfui, & hinc rogatus hoc privilegium mandato prædicti D. Uberti Episcopi, & Canonici scripsi.

Reconciliatio Alexandria cum Imperatore, & civitatis restauratio ex anal. manuscr. Schiavina.

Sub hac forma recipit D. Fridericus Imperator homines de Cæsarea, quæ posita est super

ripam Tanari, in gratiam suam, & bonam voluntatem. Prædicti homines tradunt se in potestatem Domini Imperatoris sub hoc tenore. Exhibunt omnes a civitate tam masculi, quam fœminæ, & manebunt foris, quousque Nuncius Imperatoris reducat eos in civitatem, & civitatem eis reddat auctoritate Imperatoris, & Imperator fundat hanc civitatem ex septem locis, scilicet ex Gamundio, Maririco, Bergolio, Roboreto, Solerio, Oviliis, & quadraginta familiis Quargnenti, & imponet ei nomen Cæsarea. Dominus Imperator habebit theloneum Pontis super Tanarum, & pedagium civitatis, & curariam rerum venalium, & omnia jura, & regalia extra civitatem, jura etiam, & possessiones, quas Marchiones juste ab Imperio tenuerunt; & homines civitatis masculi a quatuordecim annis supra ad septuaginta annos jurabunt fidelitatem Imperatori Frederico, & Henrico filio ejus Regi, pacem, & concordiam facient, & guerram movebunt ad mandatum Imperatoris, & ejus nuncii, & post quoslibet annos renovabunt Sacramentum fidelitatis, & recipient honorifice Nuncium Domini Imperatoris, qui colliget intra civitatem regalia, & jura Imperatoris, & omnia jura ejus extra civitatem, sicut supra dictum est. Nuncius quoque Domini Imperatoris præstabit conductum per terram, & dabit tutores pupillis, & curatores & restituet minores, & appellationes fient ad ejus audientiam, & duella, quæ firmantur ante Consules, fient in præsentia nuncii, & Consulum. D. quoque Imperator remittit eis offensas, & reddit eis gratiam suam, & fautoribus eorum, specialiter hominibus de Cassino, & Bellomonte, & dat Cæsareæ statum civitatis, eo tamen tenore, quod nulli civitati, nulli loco, nulli personæ sua jura tollat, seu diminuat, cuilibet scilicet suo jure servato. Imperator dabit eis Consules, qui jurabunt civitatem conservare, & regere ad honorem Imperatoris. Illi facient justitias intra civitatem, & bonas consuetudines exercebunt, & punient maleficia. Imperator amicos, & fideles suos, qui in vicinia Cæsareæ sunt, faciet jurare, quod ipsi Cæsareæ præstent auxilium, & Cæsarea versa vice jurabit præstare illis auxilium. Sunt autem hi, Papienses, Derthonenses, Hastenses, Aquenses, Albenfes, homines de Casali, Marchiones de Vastis, Marchiones de Bosco, Marchiones de Occimiano. Imperator Cæsaream Civitatem, & homines eam inhabitantes ad manus suas, & ad usum suum tenebit & nullum Marchionem, Potestatem, seu dominium habebit in civitate. Consules eligentur a Communi, qui annuatim recipient Consulatum ab Imperatore, vel a filio ejus Rege, si alteruter eorum fuerit in Italia. Si neuter eorum erit in Italia, accipient investituram consulatus a Nuncio Imperatoris annuatim sine remuneratione. Si vero Nuncius non erit in Italia quinque tantum annis ibunt in Teutonium accipere investituram ab Imperatore. Cæsarea vero non recipiet homines Papienses, nec de civitate Papiæ, nec de terra Papiensium specialiter homines Guidonis de Petra, & illos de Sala, & illos de Bassignana, & quos nunc tenet, dominis suis debita servitia exhibere permittet. Similiter Papien-